Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 277
Quelle:
Copyright:

non imponunt. Per decurſum Judaei, eorumque Protectores non parum vapulant. C. 10. legas: *Si Judei vt Chriſtiani laborarent in agris et ſiluis et aquis et artificijs vt in mercimonijs, vexatione intellectum dante cicius conuerterentur* &c. Tractatio tota lectu digna eſt, variaque offert, quae non ante IV. jam Secula ſcripta fuiſſe videantur.

X. *fol.* 271. p. 2. *Hec ſunt ſcripta Magiſtri Johannis Rewtter decretorum doctoris ſuper queſtiones de contractibus*. De hoc Viro nil inveni, niſi geſtum ab eo anno 1404. Decanatum Jurid. Facultatis. Judicium, quod ab eo hic fertur, incipit: *Supra ſcripte queſtiones formate per magiſtros breuiari et redigi poſſent ad infra ſcripta ex quarum determinatione apparet etiam deciſio aliarum* &c. Verſatur autem circa Jura Principis in Bona cum eccleſiaſtica, tum profana ſibi Subditorum in ordine ad ſtatuendos Cenſus, eorumque redemtionem.

XI. *fol.* 273. *Incipiunt aliqua capitula de tractatu libri Reinberi* (Sacconi O. P.) *primo De cauſſis hereſis*. Jam ſuper. *Vol. col.* 1079. 1264. 1609. de hoc Autore, ejusque Opere in *Germania* refecto et interpolato diximus. Capita, quae hic deinceps extant, ſunt: *Blaſphemie. Heretici dampnant omnia ſacramenta. De penitencia. De Vnctione extrema. Errores circa conſwetudines Eccleſie. Quomodo heretici noſcuntur. Qualiter heretici ſe ingerunt Dominis. De Modo Examinandi hereticum. Interrogacio. In publica Inquiſitione ſic fit. Que ſint contra fidem katholicam. Quatuor falſa ſacramenta katharorum. Decretalis contra hereticos*. Exemplar etiam iſtud *Germaniae* adaptatum fuiſſe, patet ſtatim c. 1. ubi dicitur Haereticus quidam *nocte tempore yemali per aquam que dicitur ybſa* nataſſe, item: *Pſalmis etiam tytulos imponunt, ſic* Eructauit *der maide pſalm*, Exurgat *der rachſalm*, De profundis *der reſalm* &c. et multa alia lectu curioſa.

XII. *fol.* 284. Quaeſtiones in I. *Librum Sententiarum* hoc initio: *Circa primum librum ſententiarum queritur* &c. Thecae interius veſtitae ſunt membranis Talmudicis eleganter exaratis.

CLXXXVI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 198
Folior. nunc 362. 4. commode ſcriptus et in tergo insignitus: *Tomus III. Commentar. in Lucam*, fuſam, multisque ad varia fidei, morumque capita digreſſionibus interſperſam hujus Evangelii explicationem continet, a fine *Cap.* VI. usque ad *Cap.* X. v. 25. porrectam. *Caput VII. fol.* 4. ita incipit. *Cum autem impleſſet omnia verba ſua* &c. *Iſtud eſt capitulum ſeptimum ewangelij luce et continuatur ad precedentia ſecundum ny. de lira per hunc modum. Poſtquam in ſuperioribus b. lucas deſcripſit chriſti inſtructionem* &c. Lectam pro Scholis *Viennenſibus* non dubito. Ad marginem *fol.* 32. ubi de *Extaticis* agit Commentator,